S. P. Literae tuae, Madere clarissime, mihiq[ue]
charissime, à Pomerano nostro mihi sunt
redditae: quae cum multis candidissimi tui
pectoris, constantisq[ue] erga me amoris ac bene
volentiae notis abundent: tantum abest, ut tui
desiderium, quod mihi reliquisti, leniverint, ut etiam
id vehementer auxerint, ad summumq[ue] perduxerint.
Nam quo diutius tuae consuetudinis fructu careo:
eo mihi molestior plerorumq[ue] familiaritas existere
videtur. Requiro nimirum in multis eam integri
tatem atq[ue] fidem, quam in te (absit adulationis
suspicio) egregiam expertus sum. Et possem sane
de nonnullis graviter conqueri: sed quoniam querelis
nihil proficere possum: feram, non culpabo, quod
hoc tempore difficulter mutari posse animadverto.

De functionis tuae tranquillitate tibi magnopere
gratulor. Deus opt. max. eam tibi fructuosam maximeq[ue]
diuturnam esse velit.

Querela de dialectica ph. M. mihi tecum communis est.
Sed cedendum est interdum multitudini. Et non
tantum quid debeas, sed etiam quid possit fieri,
considerandum nobis est. Magna vis est autoritatis
et opinionum vetustas, veritati saepenumero multum
nocet. Verum tyrannis aestimanda est, non lex:
barbaries, non consuetudo: levitas, non autoritas,
cum in depravatis et iuventuti perniciosis rebus
defenditur vetustas.

Scribis porro D. Platonem vestrum, vel potius nostrum,
à platonica sive Socratica h.e. liberiore philo
sophandi ratione, ad Aristotelis oracula paulatim
desciscere. miror! nec tamen in Artis verba eum
penitus iurasse arbitror. Metuit fortasse, ne,
si Rami sectator perpetuus haberi velit, sponsam
suam repudiare cogatur. Ramus enim, maritus
numquam fuit: sed ut ingenio, ita corpore quoq[ue]

plane

plane soluto liberoque esse voluit. Caeterum remoto
joco, D. Platoni felix, foecundum h.e. multis Platonicis
fructibus spectabile, atque adeo omni bonorum genere
circumfluens conjugium à Deo omnis legitimae honestaeque
conjunctionis autore, precor et opto.

Rerum novarum jam fere nihil suppetit: nisi quod
D. H. Baumgartnerus, Duumvir designatus fuerit:
quae dignitas in repub. Noribergensi summa est: Utrum
in locum ejus alius Scholarcha surrogatus sit,
nec ne, nondum constat.

De aliis reb. Academicis ex D. Pomerano
quaedam sciscitari et cognoscere poteris.

Bene vale: et Cl. V. D. Lupichio, D.
Platoni: D. Richio caeterisque nostris amicis
meo nomine dic salutem plurimam et officiosiss.

Ego meaque conjunx tibi, uxori tuae caeterisque
domesticis salutem officii plurimiss. ascribimus.

Vale iterum, et me amare perge.

Si forte in D. Scultetum incideris,
meo nomine ipsum amanter salutes, rogo.
Si Deus volet, circiter ferias caniculares
vos invisam vel potius revisam. Altorfii
festinanter: a. d. III Aprilis: Aõ CIↃ.IↃ.XCVI.

T. χρήσει ἐν κλήσει

C. Glaserus.

Boni consule κακογραφίαν.

Glacianus.

Clariſs. Viro: virtute, eru-
ditione ac dignitate præ-
ſtanti D. M. Theophilo
Madero: illuſtris Scholæ
Ambergenſis Rectori: Domi-
no amico peramanter colendo